

et aliter apud juristas accipitur. Ita communis; atque jam dixi in *Theologia morali*, tract. VIII. distinct. 2, n. 34, 35, et seqq. Si quidem apud theologos culpa idem est ac peccatum, sive mortale sit, sive veniale. Apud juristas autem, culpa idem est ac omissio alicujus diligentiae, unde sequitur quodpiam damnum proximo. Et potest facile contingere, quod hujusmodi culpa juridica, seu civilis sit homini involuntaria, et omni peccato coram Deo vacet: veluti, si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in publico loco reliquisti, unde sequitur ejus amissio, culpam juridicam commisisti, quamvis coram Deo nihil peccaveris.

18. *Culpa juridica est triplex, lata, levis et levissima: et quae?* — Resp. II. Culpa juridica, seu civilis, dividitur in latam, levem, et levissimam. Ita Abbas, cap. un. n. 13. h. t. et communis. Et quidem culpa lata, est omissio ejus diligentiae et circumspeditionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent: qualis foret ostium, qui proinde perditur. Et talis culpa lata, licet dolus proprie non sit, tamen in jure æquiparatur dolo, l. I. ff. *Si mentor falsum*, etc. ibi: «Lata culpa plane dolo comparabitur,» cum concordantiis. Culpa levis est omissio ejus diligentiae et circumspeditionis, quam solent homines diligentiores illius conditionis, et artis adhibere: et talis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinqueret, ostio tamen aperto: nam homines diligentiores solent claudere januam. Culpa levissima tandem esse censetur omissio ejus diligentiae, quam diligentissimi, et prudentissimi adhibent: qualis culpa foret illius, qui librum sibi commodatum intra cubiculum relinquens clausit quidem ostium, sed non tentavit manu, an illud bene sit observatum: prout hasce culpas exemplificat Navarrus, cap. XVII. *Manual*. n. 178. et alii.

19. *Differt a casu, et dolo: et quomodo? Casus, et dolus quid?* — Resp. III. Culpa juridica multum differt a casu, et dolo. Nam quælibet culpa juridica, seu civilis, etiam levissima, potest caveri diligentia humana, cum sit omissio illius diligentiae, quam homines diligentes, vel saltem diligentissimi talis status et conditionis adhibere solent. Casus autem est rei inopinatae eventus, qui neque a diligentissimo prævideri, vel caveri potest: sic casu fortuito contingunt, quæ fiunt, seu pereunt per bellum, latrones, ter-

ræmotum, gelu, grandinem, fulmina, et his similia. Unde l. *Contractus* § *Animalium*. ff. *de Reg. jur.* dicitur: «Animalium vero casus, mortes, quæcunque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapina, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, a nullo præstantur.» Hæc ibi. Dolus vero dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alteri adhibita, l. I. §. *Dolum*, ff. *de Dolo malo*: ubi rejecta servi definitione, hæc dicitur vera esse definitio doli mali.

20. *Ex qua culpa teneatur commodatarius? Ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis, tenetur is spectando leges humanas etiam de culpa levi et levissima.* — Quæritur II. Ex qua culpa teneatur commodatarius? Resp. I. Hic opus esse multiplici distinctione: et quidem, ubi commodatum tendit in gratiam solius recipientis, tunc commodatarius non solum tenetur de dolo, et culpa lata: sed etiam, spectando leges positivas humanas, de culpa levi, imo et levissima. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*, et Abbas, ibid. n. 1. et 12. Angelus, in *Summa*. §. *Commodatum*. n. 11. et communis doctorum. Idque clare decisum est cit. cap. un. h. t. illis verbis: «Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.» Concordat jus civile, istud pariter statuens in l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. et l. *in Rebus*. §. 1. ff. h. t. et l. *Contractus*. ff. *de Reg. jur.* et l. I. §. *Is quoque*, ff. *de Actionib. et obligat.* cujus verba n. 15. relata sunt.

21. *Etsi secus sit in precario.* — Nec obstat primo, quod in precario non nisi dolus, et culpa lata præstat, text. clar. l. *Quæsitum*. §. *Enim quoque*. ff. *de Precar.* Resp. enim, disparitatem esse: quia precarium totaliter descendit ex liberalitate concedentis, atque ad libitum hujus quoquo tempore revocari potest: secus est in commodato, ut jam dictum tit. præced. n. 9.

22. *Et deposito.* — Nec obstat ulterius, quod etiam in deposito non nisi dolus, et culpa lata præstat, l. I. c. *Depositum*, ibi. «Qui depositum accepit, dolum solum, et latam culpam præstare debuit,» cum similibus. Resp. enim, disparitatem esse: quia depositum regulariter fit gratia solius deponentis, ut illud sibi secure asservetur; Commodatum vero gratia solius commodatarii, cujus necessitati atque indigentiae per rem

commodatam quis subvenire intendit. Atqui naturalis æquitas postulat, ut major adhibeatur diligentia et circumspectio in custodienda re aliena, quam quis gratis ad suam solam utilitatem accepit, quam si eam accepisset ob alterius duntaxat gratiam, et utilitatem.

23. *Et quid loquendo pro foro conscientie? Remissive.* — Additur notanter in data n. 20. conclusione, «spectando leges positivas humanas.» Quia juxta has omnimodis est procedendum et judicandum in foro externo. An autem idem sit dicendum de obligatione in foro conscientie restituendi damnum in commodato illatum ratione culpæ levis, ac etiam levissimæ, et quidem ante sententiam judicis, variant doctores: atque cum pluribus aliis sententiam negativam tenendo, dixi ex professo in *Theologia morali* cit. tract. VIII. distinct. 2, n. 41 et 47, ac seqq.

24. *Si commodatum fiat gratia utriusque, tenetur commodatarius solum dolo, et culpa lata, atque levi; non veros de levissima.* — Resp. II. Quod si commodatum fiat gratia utriusque, tam concedentis videlicet, quam commodatarii, tunc iste tenetur solum de dolo, et culpa lata, atque levi, non autem de levissima. Ita desumitur ex l. *In rebus*, § 1. juncta Glossa, §. *Æstimatio*. et Barbosa, in *Summario*. ff. h. t. ubi istud exemplificatur in casu, quo communem amicum ad cœnam invitavimus, tuque cœnam præparasti, et ego commodavi tibi vasa argentea, nam de his teneris mihi solum ex culpa lata, et levi, non autem ex levissima; prout etiam in rebus pignoratit fieri solet. Abbas cap. un., n. 12 et 14, h. t.; Angelus, §. *Commodatum*, n. 11. Pirhing, h. t. n. 6; Sanning, eod. cap. II, n. 3. et alii.

25. *Et si id fiat gratia solius commodantis, tenetur solum de dolo, et culpa lata.* — Resp. III. Si vero commodatum detur gratia solius commodantis, tunc præstat solummodo dolus, et culpa lata: non autem culpa levis, aut levissima. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*. h. t.; Abbas, ibid. n. 12; Angelus, cit. n. 11; Pirhing, ubi supra. n. 5; Sanning, n. 1. et alii. Itque patet ex l. *Si ut certo*. §. *Interdum*. ff. h. t. ubi istud exemplificatur in casu, quo quis sponsæ, ut uxori suæ commodavit ornamenta, ut honestius culta ad se deduceretur: vel, si quis ludos theatrales exhibiturus, scenicis vestes necessarias commodavit: tunc enim, quia tale commodatum fit gratia solius dantis, re commodata pereunte solus dolus, et culpa lata, utpote

dolo æquiparata, præstat; non autem culpa levis, vel levissima.

26. *Ponuntur tres regulæ generales pro omnibus contractibus, ad cognoscendum, ex qua culpa quis teneatur.* — Unde pro clariori, simulque generali hujus materiæ, seu obligationis intelligentia præ oculis habendæ sunt tres regulæ, quas doctores præallegati, aliique passim assignant, atque desumunt tum ex citatis, tum ex diversis aliis textibus utriusque juris, ac præsertim ex l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. juncto Bartolo, in *Summario*. ff. h. t. l. Regula est: In contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantum (prout communiter fit in deposito) præstat dolus, et culpa lata tantum, arg. l. I. c. *Depositum*. et cit. §. *Nunc videndum*, cum similibus. Exceptis tamen quibusdam contractibus, nempe tutelæ, mandati, et negotiorum gestorum, in quibus ob specialem rationem etiam præstat culpa levis; ut dicitur l. *Contractus*, ff. *de Reg. jur.*

27. II. Regula est: Quando contractus fit gratia recipientis tantum (prout regulariter fit in commodato, exceptis casibus proxime enumeratis) tunc præstat non solum dolus, et culpa lata: sed etiam culpa levis, atque levissima, arg. cap. un. n. h. t. junctis dictis supra n. 20. Dummodo hinc excipiantur precarium, in quo non nisi dolus, et culpa lata præstat, ob rationem n. 21. allegatam.

28. III. Regula est: Quod si contractus fiat gratia utriusque (prout contingit in pignore, quod datur tum gratia creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ; tum gratia debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris quidpiam mutuo concedatur) tunc præstat dolus, et culpa lata, simulque culpa levis; non autem culpa levissima, arg. cit. l. *Si ut certo*. §. *Interdum*. ff. h. t.

### § III.

DE OBLIGATIONE COMMODATarii EX CASU FORTUITO; UBI DE ACTIONIBUS COMMODATI.

29. *Commodatarius non tenetur de casu fortuito.* — Quæritur I. Utrum commodatarius teneatur de casu fortuito, quo res commodata perit? Resp. Negative: dummodo aliter non fuerit expresse conventum, neque is fuerit in mora reddendi, nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito. Ita Glossa, in cap. un. §. *De levissima*, et doctores. ib.

h. t. et habetur expressum in cit. cap. un. h. t. illis verbis: « Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. » Hæc ibi. Concordat textus apertus in l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. ff. h. t. et l. *I. c. eod.* et l. *Contractus*. ff. de *Reg. jur.* cum similibus. Et merito: nam quælibet res domino suo perit; atqui dominus rei commodatæ est commodator, l. *Rei commodatæ*, ff. h. t. ergo.

30. *Dummodo aliter non fuerit expresse conventum?* — Additur notanter in conclusione. I. « Dummodo aliter non fuerit expresse conventum. » Nam si pactum intervenit de præstando, seu resarciendo damno, quomodocunque res pereat, tenebitur commodatarius etiam de casu fortuito; eo, quod periculum rei in se suscepit, sequè obligaverit ad quodcunque damnum resarciendum: siquidem « contractus ex conventionem legem accipiunt, » ut inquit reg. 85. Jur. in 6. juncta l. *Contractus*. ff. eod. Hinc ille, qui sibi bovem commodari postulavit, sed contemplatione hostilis incursionis timendæ periculum ejus in se suscepit, per præsidem provincie compellitur conventionem implere bovemque hostili incursa pereuntem resarcire; uti habetur cit. l. *I. c. h. t.*

31. *Neque is fuerit in mora reddendi.* — Additur II. « Neque is fuerit mora reddendi. » Quia, si quis tardasset reddere domino rem commodatam post expletum usum ipsius, teneretur etiam de casu fortuito, juxta cit. cap. un. h. t. Nam « mora sua cuilibet est nociva, » ut loquitur reg. 25. jur. in 6. cum similibus.

32. *Et quid, si res eodem modo peritura fuisset apud dominum?* — Intellige, nisi res eodem modo peritura fuisset apud dominum: quia tunc enim non censeretur domino fuisse causa damni, sicque non obligaretur ad ejus recompensationem. Lessius, lib. II. de *Justit. et jur.* cap. VII. n. 38. Navarrus, cap. XVII. *Manual.* n. 80; Sylvester, §. *Mora*. q. 4; Engel, tit. de *Pactis*. §. 7. n. 26; et alii. quamvis Glossa, ad cit. reg. 25. jur. in 6. §. *Mora sua*, quoad dissentiat, arg. l. *Quod te*, ff. de *Rebus creditis*, et quia fortassis interea dominus rem sibi restitutam vendidisset, sicque apud aliud periisset. Nisi dicere velis hanc Glossæ opinionem loqui extra casum a Lessio suppositum.

33. *Nec culpa commodatarii fuerit data occasio casui fortuito.* — Additur III. « Nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito: » prout fieret, si vas argenteum, tibi pro convivio, in civitate celebrando commodatum, tecum accepisti peregre profectus, sicque illud in naufragio, vel prædonum incursus perdidisti. Nam tunc de hoc casu fortuito sine ulla dubitatione teneberis; prout exemplificatur l. *In rebus*. §. 1. ff. h. t. et l. §. *Sed et majoribus*. ff. de *Actionib. et obligat.* juncto cap. un. h. t. Quia videlicet casus ille, cæteroquin fortuitus, tua culpa accidit, qua commodatum sine licentia commodantis foris extulisti.

34. *Quid juris, si res commodata, et remissa, perit culpa, vel etiam dolo nuntii?* — Queritur II. Quid juris, si res commodata et remissa, perit culpa, vel etiam dolo nuntii? Resp. I. Quando commodator certum nuntium misit cum mandato, ut per eum res commodata remitteretur, periculum est ipsius: sicque commodatarius nuntio illi forsan postea cum re commodata aufugienti, vel etiam malitiose deterioranti, tradens rem commodatam liberatur. Textus est apertus in l. *Eum qui rem*. §. *Sed et si dum*. ff. h. t.

35. Additur tamen « cum mandato, » etc. Nam si commodator misit solummodo nuntium, ut commodatarius moneret ad remittendum commodatum, non tamen dixit, ut per eum, mitteret: tunc commodatarius huic tradens, non excusatur, si dolo, vel culpa illius nuntii, vel servi res pereat. Bartolus, in cit. l. *Eum qui*. §. *Sed et si dum*. vers. *Tertio*. Quod intellige, si nuntius ille communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur, conformiter dicendis n. 37.

36. Resp. II. Quod si commodatarius nuntium elegit, quem voluit, ad remittendam rem commodatam, tunc periculum ejus est; adeoque, si malum nuntium, et cum commodato postea aufugientem, vel istud deteriorantem elegit, ipse tenetur ad damnum præstandum. Textus est in cit. l. *Eum qui*. §. *Sed et si dum*. ff. h. t. juncta leg. seq. hujus rationem reddente, illis verbis: « Qui non tam idoneum hominem elegit, ut recte id (commodatum) perferri posset. »

37. *Præsertim si nuntius ille communiter habeatur pro fideli.* — Additur notanter, « si malum nuntium, » hoc est non habitum pro fideli « elegit; » nam quando commodatarius remisit commodatum per nuntium communiter pro fideli habitum, non cogitur resti-

tuere, et si res per nuntii dolum, aut culpam pereat. Textus est in l. *Argentum*, ff. h. t. ubi dicitur: « Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te referendum, ut non debuerit quis existimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines interceptissent. » Id ipsum brevius tradit Bartolus, in *Summario*, ibid. dicens. « Si res culpa nuntii perdat, perit periculo domini, si remittens non fuit in culpa malæ electionis. » Concordat Navarrus, cap. XVII. *Manual.* n. 185; Azorius, part. III. lib. VII. de *Commodato*. cap. VIII. quæst. 1; Zoesius, in *Comment.* ff. h. t. n. 13, citans alios. Siquidem res regulariter domino suo perit: atqui dominus rei commodatæ est commodator, l. *Rei commodatæ*, ff. h. t. Accedit, quod commodatarius regulariter non teneatur de casu fortuito: atqui fuga servorum, puta, cum re commodata aufugientium, sicut et rapinæ, connumerantur inter casus fortuitos, l. *Contractus*. §. *Animalium*. ff. de *Reg. jur.* ergo.

38. *Quæ actiones oriuntur ex commodato? Actio directa commodati, quæ?* — Queritur III. Quæ actiones oriuntur ex commodato? Resp. Duæ: una directa, altera contraria. Actio directa commodati dicitur illa, quæ competit commodanti, ejusque hæredibus, adversus commodatarium, ejusque hæredes, ut sibi res commodata post expletum usum, seu tempus determinatum restituatur: et si culpa commodatarii deterior facta est, damnum resarciatur. Ita communis: et patet ex l. *Si is qui commodatum*. et l. *In commodato*. ff. h. t. junctis dictis supra n. 4. et n. 16.

39. *Actio contraria commodati quæ.* — Actio contraria commodati, et quasi ex opposito respiciens directam, est illa, quæ competit commodatario adversus commodantem: idque variis ex causis. Primo, si commodans non patiatur commodatarium uti re ad eum usum, ad quem est commodata (puta, quia hanc intempestive revocat, sicque commodatario damnum infert) tunc is actione contraria commodati tenetur ad resarciendum damnum illatum, l. *In Commodato*, §. *Sicut*. ff. h. t. Etsi etiam a principio meræ voluntatis sit, commodare; et ita modum commodati, finemque præscribere liceat commodanti: postquam tamen id fecit, tunc retro agere, atque intempestive usum rei commodatæ auferre, non tantum impendit officium, quod homo homini præstare debet; sed

etiam suscepta est obligatio inter dantem, et accipientem, vi hujus contractus. Nec immerito: « Ajuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet; » prout cit. §. *Sicut*. subjungitur, et concordat textus in cap. I. h. t.

40. *Et quando competat commodatario?* — Secundo: contraria commodati actione, atque ad resarciendum damnum, tenetur commodans, quando scienter alteri commodavit rem vitiosam, unde commodatario damnum illatum est. Hinc, « qui sciens vasa vitiosa commodavit, si infusum ibi vinum, vel oleum corruptum effusumve est, condemnandus eo nomine est: » ut inquit juris consultus l. *In rebus*, §. *Item qui*. ff. h. t. Similiter, quando servus alteri commodatus furtum fecit, « contraria commodati actione tunc commodans tenetur: cum sciens talem esse servum, ignorantem commodavit, » prout habetur l. *Si servus*. ff. eod.

41. Additur tamen, « Qui sciens, » etc. Nam secus dicendum de ignorante. Glossa, cit. §. *Item qui*. Utrum autem quis scienter commodaverit rem vitiosam, ex circumstantiis colligendum est: atque in dubio « præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur, » juxta reg. 47. jur. in 6.

42. Tertio contraria commodati actione agi potest cum commodante ad recuperandas magnas expensas, quas commodatarius fecit in re commodata: secus dicendum de modicis impensis. Textus est in l. *In Rebus* §. *Possunt*. ff. h. t. ubi istud inter alia exemplificatur de servo commodato, et infirmato, pro cujus valetudine recuperanda commodatarius majores fecit impensas. Et additur, « majores impensas. » Modica enim impendia (sicut et impensæ cibariorum) ad commodatarium pertinent; prout ibidem habetur.

43. *An commodatarius teneatur potius salvare res commodatas, quam proprias, si utraque ob causam fortuitam salvare nequit? Remissive.* — Posset hoc loco quæri, an commodatarius teneatur potius salvare res commodatas, quam proprias, si utraque ob casum fortuitum, v. g. ob exortum incendium, salvare nequeat, arg. l. *Si ut certo*. §. *Nunc videndum*. vers. *Quod vero*. ff. h. t. ubi dicitur: « Proinde et si incendio vel ruina aliquid contingit, » vel aliquod damnum fatale circa rem commodatam, commodatarius « non tenebitur: nisi forte cum posset res commodatas salvas facere, suas

prætulit. » Verum de hoc dicetur commodius infra tit. seq. § 2. n. 40. et seqq.

## TITULUS XVI.

### De Deposito.

1. Postquam actum est de precario et commodato, quæ sunt contractus in gratiam solius accipientis inventi, sequitur nunc explicandum depositum, veluti contractus vice versa in gratiam solius tradentis, seu deponentis adinventus. Pro cuius clariori intelligentia sit :

#### I.

##### DE NATURA, ET DIVISIONE DEPOSITI, ATQUE OBLIGATIONIBUS DEPOSITARII.

2. *Depositum accipitur et pro re deposita, et pro contractu.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit depositum? Resp. I. « Depositum est, quod custodiendum alicui datum est. » Ita textus expressus, l. I. § 1. ff. *Depositum*. Quanquam hic depositum definiatur, prout accipitur pro ipsa re deposita : potest enim depositum accipi dupliciter videlicet pro re ipsa deposita, et pro contractu depositi, prout in simili de commodato dictum est supra tit. præced. n. 3.

3. *Et quid sit?* — Et quidem depositum sumptum pro contractu, aliud non est, quam contractus, quo aliquid alteri gratis custodiendum datur. Ita Zoesius, h. t. n. 1; Valensis, eod. n. 2; Pirhing, n. 1. et in re communis. Additur notanter ly, « Gratis : » quia depositum regulariter fit gratia solius deponentis, et nulla mercede data, vel promissa. Alioquin, si pro custodia rei datur merces, jam hoc casu depositum transire videtur in contractum locationis, et conductionis; cum depositarius (sive, qui rem penes se depositam ad custodiam recepit) accipiendo mercedem, censeatur operas suas ad rem custodiendam alteri locasse, cit. l. I. § *Si vestimenta*. ff. *Depositum*. Ubi *Summarium* breviter inquit : « Depositum dicitur, cum nulla merces pro custodia datur : alias dicitur locatio. »

4. *Dividitur in giudiciale et privatum.* — Resp. II. Deposito ut sic dividitur in ju-

diciale, et privatum. Ita Azorius, part. III. lib. VII. cap. II, *de Deposito*, et in re communis; quamvis utrumque membrum suas patiatur subdivisiones. Et quidem depositum giudiciale est, quando res in giudicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restituatur.

5. *Illud alio nomine dicitur Sequestrum sive Sequestratio.* — Et hujusmodi depositum giudiciale, alio nomine dicitur *Sequestrum*, seu *Sequestratio* : qualis postmodum subdividitur in sequestrationem voluntariam, quæ fit mutuo partium consensu : et in sequestrationem necessariam, quæ fit auctoritate, et mandato Judicis; prout fusius declaratum est supra lib. II. tit. XVII. *De sequestratione passionum*. § 1. n. 6. 9. et seqq.

6. *Aliud genus depositi giudicialis assignatur.* — Aliud genus depositi giudicialis assignat Azorius cit. cap. II. et contingit tunc, quando debitor offert creditori pecuniam, quam debeat; quia vero creditor eam recusat accipere, tunc debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas, consignat eam giudici. Textus est in l. *Acceptam*. C. *de Usuris* : ubi subjungitur, quod hac ratione debitor et a solutione legitimarum usurarum (seu interesse) et a periculo casus fortuiti liberetur, et jus pignorum tollatur.

7. *Depositum privatum, quid?* — Depositum privatum e contra est, quod fit privata partium auctoritate : sive quando apud privatum aliquem, de cuius fide et diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam rite custodiat. Atque istud dupliciter contingere potest, videlicet voluntarie, vel necessario. Et quidem

8. *Est duplex : voluntarium et necessarium.* — Depositum voluntarium censeatur intervenire, quando nullo emergente periculo quis rem suam alteri custodiendam trahit. Depositum necessarium e contra dicitur, quod fit aliqua necessitate; puta, ratione incendii, ruinæ, tumultus publici, aut naufragii.

9. *Et quomodo differant?* — Est autem notabile discrimen inter istud duplex depositum : quia actio depositi in priori casu datur in simplum, in posteriori autem datur in duplum : adeo, ut facto deposito necessario ex præfatis causis, si depositarius doli mali, vel culpæ lætæ giudicialiter condemnaretur, duplum, ac valebat res deposita, restituere cogatur. Textus est in l. I. § *Prætor ait*. ff. h. t. ibi : « Prætor ait, quod neque tumultus,

neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii causa depositum sit, simplum : earum autem rerum, quæ supra comprehensæ sunt, in duplum— giudicium dabor, » quod ipsum met repetitur l. *Quod tumultus*. 18. ff. eod. ac notat Barbosa, ad rubric. h. t. n. 7. citans alios.

10. *Lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate, quam qui omnino voluntarie.* — Ratio diversitatis est, tum quia lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate, quam illi, qui facit omnino voluntarie, l. *Si fidejussor*. § *Si necessaria*. ff. *Qui satis dare cogantur*. et c. *Ab arbitris*. juncta Glossa, §. *Appellandum*. de *Offic. delegat.* in 6; tum quia voluntarie, ac extra omnem casum necessitatis, rem suam apud alium minus fidelem deponens sibi imputet, quod non quæsierit diligentior depositarium : ac proinde sufficit, si recipiat ipsam rem depositam, aut pretium ejus in simplum. Secus dicendum de deponente rem suam ex necessitate incendii, naufragii, etc. ubi res moram non patitur : et quia crescit crimen perfidiæ, si taliter afflicto depositarius inficietur, remque depositam dolose sinat interire, hinc majori pœna dignus est, daturque contra eum actio depositi in duplum.

11. *Quæ sint obligationes depositarii? Tenetur hic depositum custodire ea fide et diligentia, qua res proprias custodit.* — Quæritur II. Quæ sint obligationes depositarii? Resp. I. Obligationes depositarii, sive illius, qui rem depositam suscepit, potissimum consistunt in sequentibus. Imprimis enim debet is depositum custodire, atque servare ea fide, cura, et diligentia, qua solet proprias res servare, atque custodire. Textus est in l. *Quod Nerva*, ff. h. t. ibi : « Nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret. Nec enim salva fide minorem iis (depositis) quam suis rebus diligentiam præstabit. » Et hoc adeo verum est, ut « bona fides abesse præsumatur, si rebus suis salvis existentibus depositas amiserit. » Depositarius, uti habetur cap. II. h. t. juncta Glossa, §. *Rebus suis salvis* : et doctoribus. Ibid.

12 et 13. *Nec potest uti re deposita sine consensu depositario, expresso vel tacito.* — Deinde depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito ipsius depositoris, seu qui rem deposuit : alioquin, si utatur, furtum committere censeatur. Textus est in l. *Si sacculum*. ff. h. t. ibi : « Si sacculum,

vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit, me invito contractaverit; et depositi, et furti actio mihi in eum competet. » Idipsum habetur § *Furtum*, instit. *de Obligat.* quæ ex delicto, etc. ibi : « Sive creditor pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur -- furtum committit. »

Additur tamen, « sine consensu expresso, vel tacito ipsius depositoris. » Nam quando depositarius bona fide existimat, domino id non displicere, si utatur re deposita, jam non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur; idque multo magis dicendum, si dominus expressam licentiam utendi concesserit, cit. l. *Si sacculum*. ff. *Si permissio meo*, ff. h. t.

14. *Teneturque rem depositam restituere talem, qualem accepit, non factam.* — Tertio, depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit; hoc est, non fractam, non comminutam, corruptamve, nec factam aliquo modo deteriorem : alioquin enim non videtur reddita, l. I. § *An in pupillum*, ff. h. t. ibi : « Si res deposita deterior reddatur, agi depositi potest : cum enim deterior redditur, potest dici dolo malo redditam non esse. » Hoc ipsum de commodato habetur l. *Sed mihi videtur*. § *Si reddita*. ff. *Commodati*.

15. *Ac eam absque mora reposcenti reddere.* — Quarto, depositarius debet absque mora reposcenti depositum, illud reddere; simulque resarcire quidquid damni dolo, vel culpa sua, res deposita passa fuit. Azorius, part. III. lib. VII. *de Deposito*, cap. VI, et communis. Quod ultimum ut melius intelligatur :

16. *Depositum potest pro sua voluntate depositum revocare, etiam ante tempus statutum.* — Quæritur III. An, et qualiter depositarius teneatur reposcenti depositum restituere absque mora? Resp. I. Depositarius requisitus statim tenetur rem depositam restituere, nisi causa restitutionem impediens de novo emergat : alioquin depositum potest depositi agere, l. I. § *Est autem*. ff. h. t. Adeo, ut depositori liceat pro voluntate sua depositum revocare, cap. II. § *Sane*. h. t. Etiam ante tempus statutum : ut si quis deposuerit rem post obitum reddendam, possit mutare voluntatem suam, et ante mortem suam repetere, text. clar. cit. l. I. § penult. ff. h. t. Et si non restituitur, tunc possit agi actione depositi : atque depositarius conventus, et quia non restituebat, condemnatus, efficiatur in-